UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae, 1611

De imitatione Christi. Cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45624

Visual Library

nihil deſpiciet eam. Reuela, Domine, oculos meos, & cōſiderabo mirabilia magna, quæ ſunt in lege gratiæ tuæ: & anteponam amabiliſſimam formam eius omnibus amoribus terræ: vigilaboque & laborabo pro conſortio illius omnibus diebus vitæ meæ. Vtinam imprimeretur cordi meo ęſtimatio iuſta gratiæ tuæ, Domine, vt nihil cogitarem, loquerer, vel operarer, niſi quod requirit dulciſſima lex amoris tui!

De imitatione Chriſti.

CAP. V.

O Candor lucis æternæ, Ieſu Chriſte Rex, & præceptor vitæ meæ, quot magiſtri prurientes auribus diſcurrunt per ſcholas hominum, quęrentes docere alios, cum ipſi ignorent te, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſciētiæ Dei! Quomodò audent dicere alijs iuſtioribus ſe: Imitamini nos. Ego certè non ſequar iſtos præceptores, qui perdunt animas ſuas, & alienant à te infælices imitatores ſuos. In conſilium eorum non veniat anima mea, ne fortè ſurda fiat ad ſecretas voces, & inſpirationes tuas. Tu Domine

reuelaſti

reuelaſti mihi verba Patris tui dicentis: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipſum audite. Cùm ergo auctoritas diuina maior ſit, quàm totius mundi ſapientia, ego me ipſum proſterno ante te legislatorem, & exemplar vitę, & eligo potiùs imitari te, quàm filios Adæ patris mei. Tu enim feciſti me ad imaginem, & ſimilitudinem tuam: & veritas tua exigit à me, vt fideliſſima imitatione ſequar te ducem viæ, quę ducit ad vitam. Sed quando incipiet nimis dura voluntas mea seriò velle, quod intellectus meus illuminatus fide tua dictat eſſe faciendum? Vſquequo morabor, & differam de die in diem imitari te innocentiſſimū Agnum Dei? Nunquid timenda, & non magis amanda eſt manſuetudo tua, qua redemiſti me? Ego certè confiteor tibi, fortiſſime Victor mundi, in Eccleſia magna tua, expedire mihi imitari humilitatem tuam, qua domuiſti orbem ligno Crucis tuę. Ita ſentio teſtimonium perhibente conſcientia mea: & idcirco, precor te, fac ambulem per viam quam oſtendiſti mihi, quando in terris viſus, & cum hominibus conuerſatus es. Serua me, Rex Ieruſalem, ab hoſtibus meis & tuis, qui ſub veſte manſuetudinis tuæ, ſunt lupi

rapaces,

rapaces, & quærunt perdere dilectam animam meam. Profiteor me nolle alium Regem niſi te, qui dulciſſimæ charitatis legibus Regis fideliſſimos ſeruos tuos.

De contemptu mundi.

CAP. VI.

BEatus vir, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Huic certè mundus crucifixus eſt, & ipſe mundo, quem grandi ſenſu tuo contemnit. Cuius contemptus cauſa eſt, vt exiſtimo, quia iuſtitiæ tuæ, Domine, ſunt rectæ & lætificantes corda, & preceptum tuum lucidũ illuminans oculos. Illumina ergo me, ô lux formoſiſſima, cuius comparatione non lucent aſtra matutina, vt videam mundi vanitatem, & figuram citò tranſeuntem, & contemnam illam. Vtinam, ô Veritas fortiſſima, quæ vincis omnia, benè caperem ſenſum tuum, vt deſpicerem mendacia filiorum Adæ, qui à te auditum auertunt! Vtinam penetraret cor meum vox dicentis: Omnis caro fœnũ, & cecidit flos, quia ventus Domini inſufflauit in eo! Hæc eſt ſapientia ſapientum, & fortitudo fortium, Domine, vt

Chri-